



BOLETÍN ECLESIASTICO

DEL

Obispado de Astorga.

SUMARIO: Sagrada Congregación de Obispos y Reg.—Doctrina Canónica sobre la provisión de Parroquias (continuación). — La Vela Nocturna en Santa Marina.—Limosna para la Basílica de Sta. Peresa.—Necrologia.

SAGRADA CONGREGACIÓN DE OBISPOS Y REGULARES

Decretum quo nonnullae praecipuntur normae quoad cordis et conscientiae intimam manifestationem superioribus faciendam in cenobiis mulierum aut virorum.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint, ita et legum, sapienter conditarum, ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intenti a legislatoribus fines haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnita nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa

fuerit, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Pœnitentiæ reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem ss. Canonum præscriptum fuit, ut sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriæ conscientiae consulere, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiæ norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiare pœnitentias ac alias pietatis opera dirigerent; sed et hæc per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est ut huiusmodi dispositiones, quæ ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutæ iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem ac insuper in externæ pacis turbationem versæ fuerint, ceu subditorum recursus et querimonie passim ad S. Sedem interiectæ evidentissime comprobant.

Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea, qua præstat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Præfecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus præpositæ die decimaquarta Decembris 1890 omnibus sedulo diligenterque perpensis, hæc quæ sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictæ Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissima, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae internam ma-

nifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungi Moderatricibus huiusmodi Institutum, Congregationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus præfatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis cuiuscumque gradus et præminentiae sint ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, præcepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso præcipit, ut superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali denuntiatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Præterea firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino præscribitur in Sess. 25 Cap. 10 de Regul. et a s. m. Benedicti XIV statuitur in Constitutione quæ incipit *Pastoralis curae Sanctitas Sua Praesules Superioresque* admonet ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant

âuctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patruerit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiore reddere Superiorem teneatur: quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra, sive viro- rum, sive mulierum ut studiose accurateque huius Decreti dispositiones observent sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.


VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 Decembris 1890.

I. CARDINALIS VERGA, *Praefectus*.

† FR. ALOISUS, EPISCOPUS CALLINICEN. *Secretarius*.



DOCTRINA CANÓNICA

SOBRE LA PROVISIÓN DE PARROQUIAS

(CONTINUACIÓN)

X

Después de la Constitución de Benedicto XIV que acabamos de transcribir y en el año 1748 editó el mismo Pontífice su gran obra *De Synodo dioecesana*. En el libro IV. caps. 7 y 8 trata extensamente acerca de los Examinadores sinodales, ampliando la doctrina canónica sobre este punto tan importante, por lo que se copian á continuación dichos capítulos:

Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 7. de reform.* decrevit, ut Episcopus priusquam Ordines conferat, aliquot sibi adscitis sacerdotibus, aliisque prudentibus viris, Divinae Legis peritis, et in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, *ordinandourm genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.* Et *cap. 15.* statuit, nullum Sacerdotem, *etiam Regularem posse confessiones Secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem obtineat.* Postquam autem *sess. 24. cap. 18.* præmiserat, animarum saluti maxime expedire, a dignis, et idoneis Parochis gubernari, ut id diligentius, ac rectius perficiatur, edixit, vacantes Ecclesias Parochiales illis dumtaxat esse ab Episcopo conferendas, qui in experimento, seu examine, coram eodem Episcopo, aut ejus Vicario Generali, aliisque examinadoribus *non paucioribus, quam tribus* instituendo, fuerint approbati, et idonei renunciati. Jussit præterea, sex ad minus examinadores ab Episcopo, vel ejus Vicario, in Dioecesana Synodo, singulis annis proponi, *qui Synodo satisfac-*

ciant, et ab ea probentur, e quibus, adveniente Parochialis Ecclesiae vacatione, tres ab Episcopo seligi voluit, qui una cum eo examen perficiant, addiditque: Sint vero hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licenciati in Theologia aut Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Seculares, qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executores. Caveantque, ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioqui simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quae quomodo-cumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Hæc quoad Ecclesias Parochiales, quæ ad liberam spectant collationem Episcopi. aut juris patronatus Ecclesiastici sunt, omnino servari jussit Tridentinum; omnesque earundem Ecclesiarum provisiones, seu institutiones, contra formam istius decreti factas, irritas et inanes fore pronunciavit.

Quamobrem examen, seu concursus ad Ecclesias Parochiales necessario institui debet coram tribus saltem Examinatoribus a Synodo approbatis; secus autem est de examine, ab aliis subeundo, qui aut Ordines petunt, aut ad excipiendas Confessiones approbari cupiunt; in hoc quippe poterit Episcopos Examinatoribus uti, quos maluerit, quod opportune advertit Gavantus *in praxi Dæces. Syn. capit. 31. num. 2.* quoniam Tridentinum Synodales Examinatores exigit tantum in concursibus ad Parochiales, cumque agatur de sanctione restringente facultatem, alias Episcopo a jure communi concessam, non debet extendi ultra casum expressum; quodcirca merum consilium præbere voluisse, opinamur, septem illos Episcopos, auctores articulorum reformationis Parisiensis anni 1586. cum articulo 58. tom. 4. *Thesaur. nov. Anecdotar.* Martene, et Durand, col. 1199. dixere: *In Dioecesana Synodo, ubi commode fieri poterit, juxta decreta Concilii Tridentini, deputentur Examinatores, quorum opera utatur Episcopus, tum pro examine illorum, quibus Beneficia, præsertim Curata, conferenda erunt, tum etiam eorum, qui promovendi erunt ad Ordines; aut, si legem condi-*

derunt, Episcopos extra Galliam non obstrinxere. Enimvero quod in examine, non causa conferendi Beneficium Parochiale, sed a'io nomine faciendo, liceat Episcopo Examinatores adhibere quos voluerit, pro certo posuit S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali Mediolanensi V. anni 1579. cum *part. 3. Actor. Eccles. Mediol. part. 1. pag. 259.* præceptum a Tridentino Synodalibus latum, ne examinis occasione quidquam accipiant, etiam ad alios Examinatores extendit, inquit: *Nec vero item, qui Examinatores libere, pro arbitrato Episcopi, ad alios quocumque nomine, causave examinandos adsciscuntur, examinis occasione umquam quidquam, ne sculenta quidem, poculentave capiunt.* Præterea, etsi Benedictus XIII. in sua Constitutione, quæ incipit *Pastoralis*, et habetur in Appendice ad Synodum Romanam, edixerit, ut Prebendæ Theologalis, et Pœnitentiaria, in Italia, eique adjacentibus Insulis conferantur prævio examine et concursu, eo plane modo, quo conferuntur Ecclesiæ Parochiales; expresse tamen declaravit, concursus ad illas non necessario institui oportere coram Examinatoribus Synodalibus, *sed coram Episcopo, et quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint,*

Quibus adnotatis, accuratius sunt singula explicanda, quæ in Examinatoribus Synodalibus Tridentinum exposcit. Sex ad minus ab Episcopo, aut ejus Vicario, in Synodo proponi voluit; non tamen vetuit, ne plures proponantur; quinimo ex tali loquendi modo, et plures proponantur, se exoptare, satis aperte Tridentinum innuit; quemadmodum observat Barbosa *in collectan. ad cap. 17. sess. 24 num. 85.* ubi tamen a sacra Congregatione Concilii decisum refert, non esse ultra viginti proponendos, fortasse ob periculum, ne nimium aucto eorundem numero, minus diligens sit personarum, quæ proponuntur, delectus. Propositi ab Episcopo, officium non assequuntur, nisi approbentur à Synodo; unde necesse est, ut major pars eorum, qui Synodo intersunt, in illos consentiat; secus, alii ab Episcopo erunt proponendi, qui a majori parte acceptentur. Posse autem hanc acceptationem fieri per suffragia tum publica, tum secreta, respondit sacra Congregatio Concilii ad Patriarcham Venetiarum die 11. Julii 1592,

Amplitudini tuae super Examinatoribus, in Synodo approbandis, sic respondit Congregatio sacri Concilii Interpretum, nempe examinatores, qui ab Amplitudine tua propositi fuerint Synodo, tam per vota secreta, quam aperta posse probari. Itaque Amplitudo tua eum modum in probatione servari faciat, quem magis expedire judicaverit.

Quod spectat ad Examinatorum qualitates, quamvis Tridentinum desideret, ut deputandi ad ejusmodi munus, gradum aliquem in sacra Theologia, vel in Jure Canonico sint consecuti; attamen arbitrio Episcopi permittit, etiam, qui nullo gradu est condecoratus, proponere; ex quo fit ut, etiamsi plures in diœcesi reperiantur Doctoratus laurea insigniti, si nihilominus Episcopus eos minus peritos existimet, poterit, cum synodi approbatione, aliis, sive Secularibus, sive Regularibus, qui sine Doctoratu doctiores reputantur, Examinatoris officium committere; quod a Sacra Congregatione Concilii decisum refert Fagnanus *in cap. Inter coeteras, num. 45. usque ad fin. de rescriptis.*

Designantur quandoque Examinatores sub nomine tantum dignitatum, seu officiorum, quae obtinent, dicendo ex. gr. *Examinatores erunt Vicarius Generalis, Archidiaconus, Decanus, Prior Conventus S. Dominici etc.* statimque oritur quæstio an decedentibus, vel dignitatem, seu officium dimittentibus electis, Examinatoris munus transeat ad eorum in dignitate vel officio successores. De hac controversia, teste Garcia de *Beneficiis part. 9. cap. 2. in resp. ad dub. 22. n. 339. et seq.* actum fuit in sacra Congregatione Concilii in una *Toletana* anno 1594. et decisum, sub generali deputatione Auditorum consilii Archiepiscopalis, in Synodales Examinatores, illos solum fuisse comprehensos, qui Auditorum officium tunc temporis gerebant, non vero eorumdem successores; eidemque decisioni adstipulatum fuisse Romanam Romam, idem Garcia *n. 341 et seq.* refert. Eadem quæstio fuit nuperrime instaurata in sacra Congregatione Concilii; etenim, cum in Synodo Diœcesana Policastrensi inter Examinatores Synodales deputatus fuisset etiam Vicarius Generalis Episcopi, sub solo appellativo nomine dignitatis Vicariatus, atque hic una cum aliis duobus Examinatoribus Synoda-

libus interfuisset concursui habito ad quamdam Parochialem; sacra Congregatio die 19. Septembris 1745. concursum convalidavit ad cautelam, sed simul scribendum dixit Episcopo Vicarium Generalem non posse deinceps Sinoda is Examinatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputaretur. Ideo autem concursus fuit ad cautelam convalidatus, quia non desunt Doctores, qui opinantur, Examinatorum electionem, factam sub solo appellativo nomine dignitatis, seu officii, ne quoad illos quidem sustineri, qui electionis tempore dignitatem, seu officium obtinent; et licet sacra Congregatio in prædicta *Toletana* oppositum censuerit; noluit tamen hanc quæstionem refricare, iterumque decidere. Gavantus *in praxi Dioeces. Synod. annot. 5. ad cap. 31.* non improbabile opinatur, Examinatoris munus transire ad successorem in dignitate, seu officio; cum electio hoc modo fit: *Deputetur Prior S. Dominici. qui pro tempore fuerit.* At hæc opinio, cui solum dubitanter Gravantus adhæret, nobis non arridet; ad munus quippe, ad quod eligitur industria personæ, non potest designari persona incerta, cujus doctrina, prudentia, et probitas ignorantur. Ad tot itaque præcavendas, et obtruncandas controversias, consultius erit, ut Synodales Examinatores, sub proprio et expresso cujusque nomine, et cognomine ab Episcopo proponantur, atque a Synodo approbentur.

Electi Examinatores jurare debent, se, omni postposita humana affectione, munus suum fideliter executuros, sicuti Tridentinum præcipit. Ejusmodi autem juramentum in ipsa Synodo est emittendum, si illi Synodo adsint; sin minus, coram Episcopo, aut ejus Vicario. Quanvis porro Tridentinum, juramentum ab illis præstandum, dixerit, ad sancta Dei Evangelia; at tamen Gavantus *cit. cap. 31. annot. 7.* nihil referre affirmat, an super Evangelia, vel sacras Sanctorum Reliquias præstetur. Morem jurandi ad Sanctorum Lipsana antiquum esse, constat ex S. Augustino *epist. 78. tom. 2. Oper. col. 184.* in qua refert, imperasse se ut Bonifacii Presbyteri acusatores pergerent, *ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est*, ut ibi juramentum præstarent; subditque: *Nam et nos novimus, Mediolani apud*

memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter et terribiliter daemones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsus fuisse confiteri furtum, et quod abstulerat, reddere. Gregorius Magnus lib. 6. epist. 61. tom. 2. Oper. col. 837. jussit, Archidiaconum Ravennæ, et seniores personas venire ante corpus S. Appollinaris, et tacto ejus sepulcro jurare, quae consuetudo ante Joannis Episcopi tempora fuerit. Formulam vero juramenti ibidem addit col. 838. Juro ego per Patrem, et Filium, et Spiritum S. inseparabilem Divinae potentiae Trinitatem, et hoc Corpus B. Apollinaris Martyris, me pro nullius favore personae, neque commodo aliquo interveniente, testari. Cum vero Episcopus quidam fuisset accusatus, idem S. Gregor. lib. 2, episi. 33. ibid. col. 597. narrat, præter inquisitionem factam, ne quid videretur omissum, aut nostro potuisset dubium cordi remanere, ad B. Petri sacratissimum Corpus, districta eum ex abundantia fecimus sacramenta praeberere. Singularia hæc exempla non esse, demonstrant frequentissima, quae narrat Gregorius Turonensis, ut lib. 5. histor. Franc. cap. 33. et 49 lib. 1. de glor. Martyr. cap. 58. lib. 2. cap. 19. lib. de glor. Confessorum cap. 33. c. 94. etc. Quin ex eodem constat, plurimum SS. Martyrum sepulcra ob id ipsum insignia fuisse, quod perjuros, qui falso jurarent ad sua Corpora, punirent: Est etiam (inquit lib. 1. de glor. Martyr. cap. 39. col. 756) haud procul ab hujus urbis muro, et Pancratius Martyr valde in perjuris ultor. Ad ejus sepulcrum si cujusquam mens insana juramentum inane proferre voluerit..... statim aut arripitur a daemone, aut cadens in pavimento amittit spiritum. Ex hoc enim quisque fidem cujuscumque rei ab alio voluerit elicere, ut verum cognoscat, non aliter, nisi ad hujus Basilicam destinat. Nam ferunt, plerosque juxta Basilicas Apostolorum, sive aliorum Martyrum commanentes, non alibi pro hac necessitate, nisi Templum expetere B. Pancratii, ut ejus severitatis censura publice discernente, aut veritatem audientes credant, aut pro fallacia judicium Martyris beati experiantur. Eadem ferme narrat de sepulcro S. Genesii Martyris lib. 1. de glor. Martyrum capit, 74. de S. Juliano lib. 2. cap. 39. col. 878. de S. Niceto Treverorum Episcopo de glor. Confessorum capit.

94 col. 976. *Ad cujus nunc tumulum (ait) vincitorum catenae etc. Jam de perjuris quid dicam? Si quis enim ibi falsum juramentum proferre ausus fuerit, illico Divina ultione corrigitur.* De S. Eligio pariter Noviomensi Episcopo similia exempla narrat S. Audonenus *lib. 2. cap. 36. 58. et 77. tomo. 2.* Spicilegii Dacheriani *pag. 118. et 122.* Idem aliquando tactum, et juramentum pæstitum Constantinopoli in Basilica S. Petri in Hormisda, testis est Nigilius *epist. 15. tom. 5. Collectionis Labbeanæ col. 330,* ubi legitur: *Et dum saepedicti Judices posito indiculo tuper altare, et cataracta B. Petri Apostoli, et super Crucem, quae de ligno Passionis Domini habet inclausum, sed et super Claves B. Petri Apostoli praestitissent corporale jusjurandum, etc.* Hæc omnia exempla VIII. sæculum præcedunt, atque initium hæresis Iconoclastarum. Nam, post eam exortam, maxime propagatum hunc morem arbitramur, ut sacra Pignora, quibus illi omnem cultum denegabant hoc etiam speciali religionis actu Catholici prosequerentur; præsertim cum Sanctorum corpora tunc maxime distrahere, atque in partes secare, et in diversa loca transferre. Fidelium pietas cœperit; quod adnotavit Mabillonius *praefat in saecul. II. Bened.* Hinc ergo juramenti hujus consuetudo maxime invaluit; et in Concilio Francofordiensi, anni 794, postquam scilicet Iconomacorum in Sanctorum Imagines, et Reliquias furor eruperat *can. 9. tom. 4. Collectionis Harduini col. 906.* mos innuitur jurandi aut tactis Evangeliiis, aut coram propositis Reliquiis. Initio vero sequentis sæculi IX. lege insuper cautum invenimus, ut omne juramentum supra Reliquias præstaretur; ita quippe jurandum edixere Capitularia, edita anno 803. *cap. 10. ex recensione Balluzii tom. 1. col. 398.* et inter Capitula ex variis Synodis, et publicis conventibus, post adeptum a Carolo Magno Imperium, celebratis, excerpta, et evulgato à Sirmondo *tom. 2. Concil. Gall. pag. 246.* hoc etiam *cap. 13.* adnotatur: *Omne sacramentum in Ecclesia, aut supra Reliquias juretur.... et sic juret: Sic illum Deus adjuvet, et illi Sancti, quorum istae Reliquiae sunt, ut veritatem dicat.* De hoc jurandi modo legi possunt Martene *tom. 3. lib. 3. antiq. Eccles. rit. cap. 7. num. 2.* Ferrandus *disquisit. Reliq. lib. 2. part. 1. cap. 3. art. 3.* Postquam

Verò Lutherus, et Calvinus, qui nullam antiquam hæresim non iterum excitarunt, etiam Iconoclastarum impia dogmata renovaverunt, quo magis illis contrairer S. Carolus Borromæus, voluit, ut Testes, Judices, et Examinatores Synodales super Sanctorum Reliquias jurarent, de quo ritu, a S. Carolo Borromæo in Mediolanensem provinciam inducto, pluribus disserit Pax Jordanus *tom. 2. lib. 8. tit. 2. num. 104. et seq.*


Synodaliū Examinatorum officium durat usque ad novam Synodum, quæ intra unius anni spatium, ad Tridentini normam, esset celebranda, et in qua aut iidem, aut alii de novo deputandi forent, sicuti idem Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 18.* præcepit: *Examinatores autem singulis annis in Dioecesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, ad minus sex proponantur.* Si autem vel omnes, vel aliqui ex designatis in ultima Synodo, decurrente anno, moriantur, aut e dioecesi se subducant; tunc, si sex saltem ex designatis remaneant, (quoniam longe plures eligi posse jam diximus) cum adhuc tunc numerum exæquent a Tridentino statutum, istorum opera Episcopus utetur, nec alios in demortuorum, aut longe absentium locum substituere poterit; si vero sex non supersunt, tunc Clementis VIII. decreto, relato a Garcia *cit. part. 9. cap. 2. num. 27.* et Fagnano *in cap. Cum sit ars, num. 54. de aetate, et qualitate,* facultas data est Episcopis alios subrogandi, modo iis qualitatibus præsent quas Tridentinum requirit, a Capitulo approbentur, et una simul cum supertitibus, ex electis in Synodo, senos non excedant.

Verum hæc annum dumtaxat respiciunt, a postrema Synodo ad aliam, quæ post annum habenda esset, defluentem. Quid autem fiet si annus elabatur, et nova Synodus non celebratur? Certum est, statim ac effluxit annus ab ultima Synodo, cessare officium Examinatorum, qui intra ejusdem anni intervallum, in demortuorum, seu absentium locum forte fuerint ab Episcopo suffecti; ita enim diserte statuit Clemens VIII. in citato decreto: *Officium autem omnium prædictorum Examinatorum Synodaliū subrogatorum expiret, cum primum advenerit tempus novae Synodi, juxta cap. 2. sess. 24. celebrandae.* Quoad alios porro non subroga-

tos, sed in ultima Synodo electos, hoc censuit sacra Congregatio Concilii: quandiu sex illorum superstites sunt, omnes perseverant in munere, et Episcopus in concursibus ad Ecclesias Parochiales illis uti poterit; sed si vel unus ex illis decesserit, ita ut, ex electis in Synodo, sex non remaneant, omnium officium expirat, et nullus adhiberi poterit in concursibus ad Parochiales; neque, post annum, datum est Episcopo in demortui locum quemquam sufficere, quæ videri possunt apud *Garciam cit. cap. 2. num. 73.* *Fagnanum in cit. cap. Cum sit ars, eod. num. 54.* et *Masobrium in praxi habendi concursum requisit. 12. dub. 4.*

Quapropter ut, elapso anno, et non existentibus sex Examinatoribus, in Synodo electis, institui valeat validum experimentum concurrentium ad vacantes Ecclesias Parochiales, necesse est, ut Episcopus vel novam Synodum cogat, vel facultatem petat à sacra Congregatione Concilii novos Examinatores extra Synodum deputandi; etenim si concursus fiat coram Examinatoribus, extra Synodum designatis ab Episcopo, nulla ad hoc instructo speciali facultate, Parochialium collationes, institutiones, seu provisiones erunt irritæ. Hinc, cum in diœcesi Brachariensi, plures Parochiales, iis collatæ fuissent, qui approbati fuerant ab Examinatoribus, extra Synodum deputatis ab Archiepiscopo cum consensu Capituli, opus deinde fuit ut qui illas obtinuerant preces porrigerent summo Pontifici, ut suprema sua auctoritate earundem collationes convalidaret, et sacra Congregatio Concilii, ad quam preces remisæ fuerant, die 26. Januarii 1715. illas convalidandas censuit, quia supplicantes, bona fide Parochiales acceptaverant, atque ex Archiepiscopi attestatione constabat, multa exoritura scandala, si novus concursus ad illas foret indicendus, quod refertur *Thesaur. Resolut. tom. 9. pag. 219.*

Se continuará,



LA VELA NOCTURNA EN SANTA MARINA

Dios sigue bendiciendo la obra de la Adoración Nocturna.

El veinte de Diciembre próximo pasado, día designado por el Centro Diocesano y Párroco de Sta. Marina del Rey, para la inauguración de la Vela Nocturna á Jesús Sacramentado en este pueblo, salió á realizarla nuestro Excmo. y Revdmo. Prelado, acompañado del Vice-director de la Sección Adoradora de Astorga, don Tomás de Barrio, de D. Rodrigo Gómez, Secretario de la misma, y del indicado Sr. Cura párroco, D. Joaquin Martínez; llegando á Sta. Marina á las cinco y media de la tarde. El vecindario en masa esperaba á la entrada del pueblo á S. E. Ilmo.; saludando y aclamando con entusiasmo al infatigable Pastor de la Diócesis, que, después de conferir las sagradas órdenes á numerosos jóvenes del Obispado y extradiocesanos durante toda la mañana del mismo día, no le detiene la molestia y corre presuroso á ofrecer á sus Hijos en la fé el pan saludable de la divina doctrina y de la mas acendrada piedad, de que está saturado su espíritu, verdaderamente apostólico. Entraron en la iglesia, ejecutando entre tanto escogidas piezas la Banda de música de Benavides, que contribuyó no poco á dar mayor realce al acto, en medio de entusiastas vivas á la Religión Católica, al Augusto Sacramento del Altar y á su Excmo. Prelado: rezóse una estación, y se señaló la hora en que había de comenzarse la inauguración.

A las nueve de la noche alegre repique de campanas convocó á los fieles; y á la media hora salían procesionalmente los sesenta y cuatro Adoradores de la sacristía cantando el *Sacris solemnis*, precedidos de la bandera eucarística. Terminada la procesión, se expuso á Su Divina Majestad, y se rezó el Santo Rosario: el Presidente de la nueva Adoración leyó en alta voz y en nombre de todos los socios, el acto de consagración; y S. E. Ilmo. impuso á los Señores de la Junta el distintivo ó placa, que recibían con visible fervor, á la vez que abrazaban y besaban conmovidos la bandera, que prometían ondear sin miedo ni respetos humanos ante la faz del mundo en defensa del Rey de la Gloria,

de quien se ofrecían desde aquel momento intrépidos y valerosos soldados.

Acto seguido subió á la sagrada Cátedra nuestro Excmo. Prelado; y con la elocuencia que le es propia, expuso durante media hora las excelencias del amor de Dios, que reclama de varios y, por decirlo así, suplica nuestra correspondencia, demostrando claramente que los Adoradores Nocturnos, favorecidos por la divina gracia, oyen la voz de Dios, atienden á sus amorosas quejas, hacen suyos los intereses de nuestro Redentor y se sienten fortalecidos para emplearse de una manera sublime, casi heroica, en desagraviar á Jesús de tantos ultrajes como recibe á todas horas de las criaturas con su preciosa sangre redimidas. Felicitó al pueblo de Sta. Marina por la dicha que tenía en ver realizado pensamiento tan bello, como agradable al Señor; dando las gracias á las Autoridades locales y al Sr. Cura párroco por su eficaz cooperación, y terminó con un hermoso y tierno acto de desagravios, que repetía el pueblo poseído del más fervoroso entusiasmo.

Terminado el sermón, se dió comienzo á la vigilia por los Sres. D. Tomás de Barrio y D. Rodrigo Gómez, hasta las seis de la mañana, en que, rezadas las preces de reglamento, el primero celebró la Misa de comunión, y distribuyó el Pan de los Angeles á los nuevos Adoradores, á quienes dirigió la divina palabra para exhortarles á que procuraran comulgar con el mayor fervor posible, y dieran gracias á Dios por la suerte de haber sido llamados á formar la escogida porción de los que se amparan y guarecen en el seno del Sagrado Corazón de Nuestro Redentor Sacramentado, como Adoradores Nocturnos; retirándose poco después de las siete, llenos de alegría, por haber gustado algo de las dulzuras con que Dios favorece á los que le aman y á los que estan dispuestos á no desmayar en tan piadosa obra.

A las nueve celebró la Misa de pueblo el Sr. Cura y predicó de nuevo el Excmo. Sr. Obispo con tal elocuencia, que los fieles aseguraban que jamás se olvidarían de la visita de su Prelado.

Administró la confirmación á más de cuatrocientos niños; y en el mismo día regresó á Astorga, sobre las

ocho de la noche, en carruaje proporcionado por el pe-
 rititísimo Abogado de León, D. José María Lázaro,
 que, como es sabido, tanto edifica por sus sanas ideas
 en materia de Religión, y que es como una providen-
 cia para el afortunado pueblo de Santa Marina.

Sea Dios por todos bendito y alabado; y hacemos
 votos porque se repitan con frecuencia tan edificantes
 ejemplos.

LIMOSNA recaudada para la Basílica de Santa Teresa
 en Alba de Tormes.

	<i>Ptas.</i>	<i>Cs.</i>
El Excmo. é Ilmo. Señor Obispo.	300	
El M. I. Sr. Deán	5	
El M. I. Sr. Arcipreste	6	
El M. I. Sr. Chantre	10	
El M. I. Sr. Penitenciario	5	
El M. I. Sr. Lectoral	5	20
El M. I. Sr. D. Ricardo Sabugo.	1	
El M. I. Sr. D. José Méndez.	5	
Las Socias del Coro de D. ^a Rosa Man- rique.	16	80
La Sra. D. ^a Filomena de Núñez	2	
TOTAL.	<u>356</u>	<u>00</u>

Dichas trescientas cincuenta y seis pesetas fueron
 remitidas al M. I. Sr. D. Narciso Ullana, Canónigo de la
 Santa Iglesia Catedral de Salamanca y Delegado Tre-
 siano, el día veinte de Octubre de este año.

Astorga Diciembre 2 de 1902.

ANTONIO MARTÍNEZ.



NECROLOGÍA

Ha fallecido D. Jose Arias Martínez, Cura Párroco
 de Castromao.

Pertenecía á la Asociación de Sufragios.

R. I. P. A.

Establ. Tipog. y Lib. de N. FIDALGO, Seminario, 3.